# DISSERTATIO THEORETICO-MEDICA INAUGURALIS.

# DE

# S O M N O.

QUAM,

ANNUENTE DEO TER OPT. MAX.

*Ex Auctoritate Magnifici Rectoris,*

D. ANTONII SCHULTINGII,

J. U. D. ET ANTECESSORIS ORDINARII.

NEC NON

*Amplissimi* SENATUS *Academici Consensu, & Nobilissimæ Facultatis* MEDICÆ *Decreto,*

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis ritè ac legitimè consequendis,

*Eruditorum Examini submittit*

JACOBUS VAN VISVLIET, *Mediob. Zeland.*

*Ad diem 25. Augusti 1717. horâ locoque solitis.*




LUGDUNI BATAVORUM, apud CONRADUM WISHOFF.

F. Bleyswyk, fecit.

*SPECTATÆ INTEGRITATIS*

VIRO

D. EGBERTO VAN VISVLIET,

PATRI SUO INDULGENTISSIMO, OMNI HONORIS, ET PIETATIS GENERE ÆTERNUM COLENDO, PROSEQUENDO.

*Hanc Dissertationem Inauguralem, seque simul ipsum, in perpetuum grati animi, integræque reverentiæ monumentum consecrat*

JACOBUS VAN VISVLIET.

Auctor.



# DISSERTATIO THEORETICO-MEDICA INAUGURALIS.

## DE

# S O M N O.

## Caput Primum.



Exigit tempus, ferunt Academicæ leges, ut quilibet aſpirans ad Doctoris gradum, edat profectuum ſpecimen; mori huic laudabili ut & hoc tempore ſatisfiat, ſtudens optatam curſu contingere metam, ex magnâ rerum Medicarum copiâ hancce mihi elegi materiam, quam nullâ exordii pompâ gravi luſtrare breviter animus eſt.

Ut itaque propoſitum abſolvam, ante quædam explananda habeo, quam de ipſo ſomno dicam.

LEMMA I. *Corpus animale ubique in omni puncto interno, externo, conſtat canalibus, qui ſanguinem recipiunt a corde, & in illud remittunt.*

Conſideranti, α. quod nulla corporis pars puncta non prodat

liquidum, certo indicio aciculam, vel aliud quodcunque corpus durum acutum produxisse cohærentis separationem, liquidi contenti effusionem. β. quod omne viscus licet maxime compactum & cavitatibus expers videatur, stricte examinatum ostendat esse meram vasculorum congeriem. (*vide* M. MALPIGHIUM. *de visceribus*) γ. quod nec ossa, neque cartilagines, nec ligamenta suis careant vasculis in ullo puncto. (*vide* C. HAVERSII *osteologiam novam*) δ. ea, quæ anatome comparativa, ligaturæ vasorum, contemplatio figuræ morbosæ, injectiones mercurii, ceræve, microscopia, calculus mathematicus subtilissime hinc institutus invenere, maximâ parte patet asserti veritas. Ulterius, canales illos, qui a corde liquida recipiunt esse arterias, nemini non notum, qui vel a limine anatomen salutavit; Vasa reducentia venas dici clarissimum: Moveri vero sanguinem ita ut a corde sinistro per aortam, cui omnes arteriæ quotquot sunt in toto corpore mediate vel immediate originem debent (exceptâ arteriâ pulmonali, cui jure addi potest vena portarum) ad cunctas corporis partes libero itinere feratur: Per venam cavam, a quâ omnes venæ oriuntur eodem ac dictum est de arteriis modo (exceptis illis pulmonicis) ad dextrum cor sit reditus liquidi varii continuatione mathematicâ, exceptis vasis excretoriis in aprico posuit *immortalis* HARVEUS, infinita confirmarunt experimenta, vocavitque hunc motum circulationem sanguinis; Quæ quidem cognita fuit SERVETO, & imprimis CÆSALPINO, Uti videtur ex eorum scriptis; Gloria tamen inventi debetur HARVEO propter plurimas rationes, uti hancce litem æquâ diremit bilance *vir perfectâ eruditione* H. BOERHAAVE, *in hac celeberrimâ Academiâ Medicinæ, & Botanices Professor spectatissimus Præceptor noster humanissimus, & Promotor ad rogum usque venerandus.*

LEMMA II. *Idem corpus ubique nervosum nervos ab encephalo accipit per quos liquidum tenuissimum fluit.*

Omne id quod cranii mæniis & thecæ vertebrarum osseæ occluditur Anatomici dicunt ἐγκέφαλον, dividunt in cerebrum, cerebellum medullam oblongatam, & inde medullam spinalem. Ab hujus corticosâ substantiâ, totâ vasculosâ ultimo in omni puncto proveniunt minima emissaria, quæ unita faciunt medullosam cerebri substantiam, unde tam intra quam extra cranium prove-

ve-

veniunt fibrillæ minimæ, quæ collectæ in varios fasciculos albicantes, molles, variis tunicis inclusos nervi dicuntur, sensibus & motibus ad quamcunque corporis partem destinati a naturâ. Horum omnium accuratissimam histor. Vide sis apud T. WILLISIUM. M. MALPIGHIUM. R. VIEUSENSIUM. F. RUYSCH. A. LEEUWENHOEK. H. RIDLEY. aliosque, considerans penitus; ἐγκεφάλȣ structuram. 2. quod sanguis nudo oculo licet homogeneus sit massa heterogenea constans ex particulis variæ magnitudinis, molis, soliditatis, figuræque (docent id namque ejus ortus, analysis chemica &c.) proin diversimode motis. 3. sanguis (2) magno impetu e corde sinistro in aortam moveatur. 4. mox ejus ingens copia M. MALPIGHIO *in exerc. epist. de cerebro ad Fracassatum.* Totius una tertia pars per arterias carotides, & vertebrales, ab omni impedimento liberas, recta sursum feratur, adeoque secundum regulas Mechanicas, Hydrostaticas, & Hydraulicas, juxta quas omnia fiunt in corpore humano, ut nullus sit motus tam solidorum, quam fluidorum, qui non ex iis demonstrari possit, debeat, totius (nullibi enim simile quid obtinet in toto corpore) sit ea portio quæ habet partes solidissimas, gravissimas, mobilissimas, minime ramosas, a non talibus per vasa lateralia liberatas, ulterius in Palladis arce attenuatas, intime mixtas, facile video post innumera molimina hic in magnâ copiâ, æquabili modo, ingenti vi cordis, nulli Mathematico subtilissimo licet, unquam absolute specialiter, multo minus universaliter propter plurimas rationes definiendâ exprimi liquorem omnium totius corporis humani subtilissimum, mobilissimum, tenuissimum, fluidissimum, qui recipitur a fibrillis minimis (nervulos totidem dicas) *humanissime Lector*, & expressus in cortice cerebri spiritus animalis, in cortice cerebelli spiritus vitalis nomine in scriptis medicis occurrit (an vero hi spiritus subtilitate differant hic non disputo.)

1. Ex dictis evidentissime patet, quam maxime ergo sibi, aliisque imposuere illi clarissimi viri, qui videntes ex caudâ bubulâ sectâ stillare humorem mucilaginosum, dixere esse liquidum nervosum mox descriptum, cum absque omnium dubio sit liquor Haversianus articulorum.

2. Quam longissime a veritatis tramite deviarunt WILLIS, MA-

MAYOW. BORELL. VIEUSSENS. PASCAL. BOHN. ( pace tantorum virorum dixerim) cum ſpirituum indolem explicare ſuſcepere; meum hoc aſſertum ſubtiliſſimis affirmat rationibus in privatis exercit. Theoreticis *Vir altiſſimâ eruditione* B. ALBINUS. *Sacræ Regiæ Majeſtatis in Boruſſiâ Conſiliar. Aulicus, & Archiater, nunc in hac ſplendidiſſimâ Academia. Lugduno Batavâ Theoriæ & Praxeos Medicæ Profeſſor illuſtri laude celebratus, Præceptor noſter fideliſſimus, ſemper colendus.*

3. Quam nimis ſibi indulſere illi graviſſimi viri, qui varia in variis glandulis fermenta collocarunt, pororum, & partium configurationem diverſam diverſis in locis requiri dixere, ut ſecretiones fiant variæ: adi B. L. *aureas Inſtit. Medic. Clariſſ.* H. BOERHAAVE. ET ARCHIBALD. PITCAIRNE *diſſert. de Circul. ſanguinis*, eritque tibi nuda veritas, fermentis peculiaria promptuaria non eſſe atque fermenta ipſa in animali nulla. 2. hoc modo nullas unquam celebratum iri ſecretiones. &c. &c. ſed ad rem.

Qui examinat obſervata Lyncis Anatomicorum MALPIGHI. puta *de format. Pulli in ovo, & de ovo incubato.* Notatque. α. quod animal in initio generationis optimis licet microſcopiis viſum oſtendat nihil aliud quam cerebrum, medullam oblongatam, & ſpinalem. β. ſimulac aliæ partes in conſpectum veniant proportionaliter imminuatur moles (lit. α) idque fiat continuo. γ. fœtus recens in lucem editi $\frac{1}{3}$. pars fere ſit caput. δ. corpus ubique mobile, ſentienſve, ratione ſuffultus concludet omne, vel minimum punctum, adeoque totum corpus eſſe nervoſum: eadem quia ſine dubio obtinent in homine. *Vide* RUYSCH. ET LEEUWENHOEK.

Neque reſtat quod opponas B. L. 1. contrariari Mechanicæ Cerebrum prius fuiſſe corde &c. Reſp. me tantum verba feciſſe de iis, quæ oculus armatus licet optimis microscopiis, unquam videre potuit, non negando ſtamina cæterarum partium forte etiam adfuiſſe, quæ ſi vocare velis ipſas partes; bene, at ſcias eſſe id catachreſtice loqui, quod an in re Medicâ conveniat, neſcio.

2. merum eſſe tantum aſſumtum, fibrillas dici canaliculos, cum eorum cavitas nuſquam oſtenſa ſit: regero ſimili ratione,

ne, ut oſtendantur mihi. α. vaſcula (arteriolæ) Sanctorianæ perſpirationis; quorum 125000 ex calculo mathematico acutiſſimi LEEUWENHOEK: hiare dicuntur in ſpatio unius vulgaris grani ſabuli. β. vaſcula illa, a quibus liquidum exhalans in diverſis cavitatibus, uti pericardio, abdomine & ſimilibus; vel ſtagnans in ſtatu haud ſano, aut arte ibi depoſitum (vide NUKK:) reſorbetur, uti plurimæ proſtant obſervationes Practicæ; nec longo ab hinc tempore commilitonum quidam ſincere mihi retulit, ſe olim laborantem ulcere tibiæ, hoc juſto tempore non depurato, purulentam reddidiſſe urinam, nullo alius partis affectæ ſigno: depurato vero ſecundum artem ulcere minime lotium emiſiſſe tale. γ. illi canaliculi (certiſſime minimæ venæ) per quos particulæ ab externis cuti impoſitis ingrediuntur tandem maſſam ſanguineam. *Vide* BELLINUM. ET BAGLIVUM. Cuncta quæ ſi quis perpendat, hiſque addat obſervata LEEUWENHOEK: *de cerebro*, *ejuſque vaſis*, libere affirmabit nervos eſſe canaliculos, licet ligati, aut in vacuo Boyleano poſiti non intumeſcant, nec puncti vel diſſecti liquidum ſtillent, minime chordas elaſticas, ut quidam graviſſimi Viri in arte Medicâ voluere.

3. Molem ἐγκεφάλȣ haud ſufficere conſtituendo totum corpus nervoſum: attendenti vero obſervata Mathematica *Clar.* KEIL. *de ſecretione animali*, quod corporis totius ponderantis ℔ 160 ſint liquidorum ℔ 127 ad minimum ingens copia: Cerebrum vero ſi ſolum ſpectetur eluatur &c. vix amittat de pondere, imo in phthiſicis, quorum partes ſolidæ conſumuntur, & lentâ tabe exareſcunt, totum cranium ad ultimum maraſmum oppleat, uti docuere inciſiones cadaverum: nullam dubitandi rationem relictam iri puto.

Totum itaque corpus quum conſtet ex vaſis, vivere & ſanum eſſe dicitur, ſi liber, & æquabilis ſit fluidorum itus reditusque per omnia vaſa, & effectus inde ſequantur requiſiti: quod de toto dicitur convenit cuilibet ſingulari parti, quæ & proin dicta liquida, dicto modo accipiens, moveri, vivere, vigere, eamque functionem exercere, cui a naturâ eſt deſtinata, merito dicitur, & vice verſâ omnis corporis pars, hæc liquida non ita accipiens, vel moveri motu inæquabili, vel collabi, nec fun-

B ctio-

ctionem exercere suam: id namque probant plurima experimenta Anatomica: ligato enim, compresso, vel dissecto nervo, partis, ad quam tendebat ille, motus mox multum imminuitur, & perit: Idem de arteriâ ligatâ, compressâ, vel dissectâ docuere plurima experimenta. Unde clarissime patet, quod & nervus & arteria simul requirantur ad perfectum motum musculi &c. & quidem ratione liquidorum, quorum tantum influxus impeditur: quod si fiat in omnibus vasis simul, ut nullus sit itus reditusque liquidorum, nec amplius apta sint iis recipiundis, pars dicitur mortua, docet sphacelus. Unde docemur quid sit mors, penitus nempe cessans circulatio humorum, quod de parte dicitur intelligatur etiam de toto; sicque habetur idea mortis totius, vitæ minimæ &c. hisce præmissis, rem ipsam sequenti aggredior modo.

## Caput Secundum.

§. 1. *Qui expedite, & sine ullo impedimento exercet omnes functiones sensuum externorum, internorum, motuumque voluntariorum, vocatur Vigilans.*

§. 2. Cuncta hæc (§. 1.) dependent a s. q. præsenti spirituum bonorum, Cerebro, nervis inde oriundis, cæterisque partibus dictis mox inservientibus sic dispositis, ut sit facilis motus, spirituum animalium itus & reditus.

§. 3. Corporis ille status, in quo dicta (§. 1. 2.) obtinent, dicitur Vigilia.

§. 4. Homo postquam aliquamdiu mansit in statu (§. 3.) pro tempore per gradus recedit in alium, ab illo tantâ distantiâ dissitum, ac tam vere contrarium, ut nihil magis; dicitur Somnus. Phœnomena ejus sic se habent.

§. 5. In Somnum lapsurus homo plenitudinem quandam capitis, & totius corporis gravationem sentit, hinc sensuum externorum, internorum vis labascit, ut fiat quasi desipientia, tandem plane cessant. Motus, qui præeunte quodam mentis imperio peraguntur (voluntarios dicunt Medici) incipiunt difficilius

lius exerceri, minui cum ſenſu reſiſtentiæ, ultimo omnino deſinunt. Connivent proin ſæpius palpebræ, & nolente volente animâ tandem omnino cadunt. Caput nutat, jamque in hanc illamve partem, varie movetur. Maxilla inferior recedit a ſuperiori. Saliva ex ore profluit, & ſi quid in ore retineatur, excidit. Debile fit corpus, langueſcunt membra, brachia validis exapta lacertis cadunt, manus datæ utraque a parte miniſtræ, ut facere ad vitam poſſit, quæ foret uſus, homo, res apprehenſas dilabi ſinunt, fitque hic ſpecies repetiti tremoris; vacillant crura, poplites procumbunt, ut tota corporis compages in pronum fere ruat, (ſi dormituriens nempe ſtet, ſedeatve) urget hinc decumbendi neceſſitas. Omnes reliqui muſculi dictis motibus exercendis deſtinati quaſi reſolvuntur, ita ut totum corpus mortui inſtar jaceat, gelidæ mortis imaginem præbeat, & nihil ad quamcunque figuram traducenti partes renitatur homo, merito proin ſemimortuus. NB. Horum plurima in plurimis, non omnia in omnibus.

Toto interim hoc tempore, motus cuncti, qui nullo præcedente mentis imperio, imo ipſâ neſciente, vel reluctante animâ peraguntur (non voluntarii, ſeu vitales & naturales apellantur Medicis,) in quolibet exercentur, & quidem majori cum vigore, nempe cordis, arteriarum, venarum motus fit fortior, lentior, plenior, magis æquabilis, reſpiratio, quæ motus mixtus, id eſt voluntarius & non voluntarius, quatenus vitalis permanet, fitque ut reliqui robuſtior, lentior, æquabilior, profundior, imo quandoque cum ſtertore, qualis imprimis in ruſticis, operariis, &c. quorum duro quotidie franguntur membra labore obſervatur; eodem etiam hoc tempore maximâ parte fiunt functiones naturales.

§. 6. Omnibus hiſce rite perpenſis, & æquo judicio examinatis, evidens eſt, quod *Somnus ſit ille corporis ſtatus, in quo organa ſenſuum, motuumque voluntariorum pro tempore ſuas actiones non exercent.*

*Coroll.* nequeunt itaque dici dormire Somniantes & Noctambuli, exercent quippe plurima, quæ cuncta contrariantur ideæ Somni mox datæ.

§. 7. 1. Arteriæ carotides ſi conſtringantur, pendulumque fiat

molossi caput extra mensam, opprimit eum status (§. 6.) erecto autem capite, sinistraque reclusâ Carotide, statim sese concutere, & exagitare incepit animal. (Vide *Clar.* DRELINCURT. *Canicid.* 1.)

2. Mulier, cui pars cranii ablata erat cariëi causâ, compresso cerebro sensus & motus expers concidit, remissâ compressione, rediit in statum (§. 3) vide *l'Histoire de l'Academie Royale des sciences l'Annee* 1700. *in* 8. *pag.* 57.

3. Acus in cerebellum si compellatur inter 1. vertebram & os occipitis, canis epileptici instar concutitur, & mox exspirat. DRELINCURT. *canicid.* 3.

4. Cerebello dissecto, vel ex cranio exsecto, omnibus cæteris partibus relictis salvis, animal in puncto temporis, quasi fulmine ictum moritur *experimentum fecere* RIDLEY. *aliiq.*

*Coroll.* ex his 4. experimentis mathematicâ evidentiâ patent plurima, α. cerebrum esse a quo dependent functiones (§ 1.) β Somnum esse affectionem cerebri. γ. minime proin 1. dependere a splene, uti voluit HELMONT. *Tractat. de duumvir.* pag. 275. 2. neque locum habere in corde, uti alii sibi imaginati sunt. 3. non obtinere sententias plurium Poëtarum, quibus enarrandis brevitatis ergo supersedeo.

§. 8. Convenit Somnus cum Apoplexiâ, quatenus dormiens non sentit, stertit aliquando &c. differt vero quatenus homo (§. 1.) sensim labitur in Somnum, expergiscitur sponte, vel aliquo stimulo v. c. fæcum intestinal. expell. aut urinæ solummodo per renes, & ureteres in vesicam depositæ, jamque illam copiâ, acrimoniâ, diuturnâve remorâ distendentis, vellicantis, mentemque hinc in expulsionem incitantis &c. causâ, disponitur ad vivendum uti in sequentibus patebit: Apoplecticus vero subito incidit in statum suum, difficulter respirat, nunquam expergiscitur sponte, continuo fit letho magis proximus, partim propter nimium sanguinis motum & proin attritum, unde cerebello instat ruina, vel propter continuo increscentem liquidi ex vasis stillantis copiam, unde tandem comprimitur cerebellum, quo facto mors (vide §. 7. n. 3. 4.) reliqua horum &c. phænomena si quis advertat, maximam hic intercedere differentiam facile videbit.

§. 9. Quid, hisce visis, tempore Somni judicandum sit de

men

mente, ignoro, CARTESII dogmati plurima possunt objici: Medicus litem relinquo Philosophis.

§. 10. Requirit ordo, ut attento animo indagentur causæ, cognitis namque hisce, rei cujuscunque natura penitus innotescit.

§. 11. Quum autem *causa immediata proxima* sit ea, quâ positâ ponitur Somnus, quâ sublatâ cessat, illa primo loco dicenda venit; animadversis vero dictis (§. 2. 7.) *certissime*, *semper*, *&* *ubique est talis liquidi cerebrosi a sensorio communi nempe medulla cerebri per nervos impeditus fluxus*, *&* *vicissim refluxus*, *qualis liber requiritur*, *ut quis dicatur vigilans* (§. 1.)

§. 12. *Causa mediata proxima est α. penuria spirituum animalium*, *unde nervi vix inflati pro tempore collabuntur. β. vel tanta sanguinis crassioris pressio ad corticem cerebri*, *ut hinc medulla cerebri compressa transitu spirituum careat.*

§. 13. Causæ mediatæ remotiores, causis recensitis ansam præbentes sunt plurimæ, maxime differentes, nec commode redigi aptæ in classes; in genere proin quasdam recensere animus est. Sunt vigilia. Labor, & defatigatio. Sessio ad focum. Balnea. Venæ sectio, hæmorrhagiæ. Situs corporis horizontalis, supinus, pronus. Motus cunarum, vectio in rhedâ, &c. similes corporis motus. Cibus copiosior, solidior, tenacior. Potus liquoris vegetabilis fermentati. Opium & opiata moderatâ copiâ ingesta, injecta, applicata. Salvia, crocus. &c. aromata valde penetrantia, flagrantia, maximeque spirituosa, a quibus tamen lædens acrimonia abest. Omnia refrigerantia, papaverina levissima farinosa emollientia, uti semina 5 frigida majora, 4 minora, semina, capita, folia, radices papaverum, eorum syrupus, amygdalata &c. &c. lenis Frictio. Attentio ad avium, citharæque cantum, ad numerum guttarum labentium in vas cupreum tinniens, ad murmur & strepitum aquarum præterfluentium, ad narrationem alicujus rei gratæ, ad susurrum arborum ex ventulo ad horologii pulsus. Lectio non attenta. Solitudo, tenebræ, silentium, cogitationum suspensio. Otium tranquillissimum quiescentis plane corporis. Consuetudo. &c. &c.

# Caput Tertium.

Jubet ratio, ut causæ mox enumeratæ (§. 13. Cap. 2.) & phœnomena (§. 5. Cap. 2.) explicentur, en paucis. *Vigilia* est causa Somni; quid sit vigilare &c. visum superius (§. 1. 2. 3. Cap. 2.) ex his patet, quod sanguis continuis secretionibus & excretionibus valde mutetur, nec tandem spiritibus suppeditandis sufficiat amplius, unde tubuli cerebri nervei non amplius ita repleti fiunt flaccidiores, hinc Somnus ob spirit. defectum (§. 12. lit. α. Cap. 2.) sanguis etiam liquidiore parte orbatus fit ad motum ineptus ex hac regulâ, quo liquidi partes magis ad se attrahuntur, eo sunt minus mobiles, sanguis itaque, non ita aptus motum continuare, in cerebro aggeritur, unde cum cranium sit cedere nescium, cerebrum molle, cavitatibus instructum plurimis, necesse est ut medullosa cerebri substantia comprimatur, unde & (juxta lit. β §. 12. Cap. 2.) Somnus, huc faciunt *labor & defatigatio.*

*Sessio ad focum*, augetur hinc solidorum actio in liquida, eorum in solida reactio, id est augetur circulus sanguinis, quo facto augetur pressio ad vasa, majores fiunt excretiones, maxime tenuissimi perspirabilis, apertis jam ejus tubulis, liquidissima ergo exprimuntur, crassiora remanent, unde clarissime Somnus ob dicta (§. 12. Cap. 2.) ex his patet, cur in æstu nimio homines sunt maxime somnolenti.

*Venæ sectio*, detracto sanguine superer it in arteriis minor quantitas, minus ergo extendentur arteriæ, minus ergo premetur cerebrum, minori itaque momento spiritus animales trudentur per nervos, unde (juxta lit. β. §. 12. Cap. 2.) Somnus, huc similes evacuationes majores pertinent.

*Situs corporis horizontalis*, docent Mechanici, quod corpora quæcunque, posita supra planum horizontale, vi parvâ moveantur, jam corpus fiat tale, ergo & arteriæ & venæ etiam fiunt tales, omni itaque sanguini inducitur aptitudo fluendi ad caput, unde [juxta lit. β. §. 12. Cap. 2.] Somnus.

*Situs supinus, pronus*, sic enim corpus accedit ad planum inclinatum, supra quod etiam facile moventur corpora, unde

cad.

eadē fere quæ de ſitu horizontali; accedit, quod ſanguis venoſus in ſitu prono contra naturam debeat adſcendere, unde non ita prompte redit ad cor, unde caput maxime impletur, non ita depletur, unde obruitur cortex cerebri ſanguine &c.

*Corollaria*, ex his tribus ultimis patet 1. quod tempore vigiliarum [§. 3. *Cap.* 2.] minor ſit agilitas in ſanguine ad cerebrum, quam tempore Somni. 2. cur a ſitu prono adeo intumeſcat facies. 3. item in Somno ſi caput nimis dimiſſum fuerit, cur homo proximo mane conqueratur de capitis torpore, ſomnolentia &c. 4. quis capitis ſitus inter dormiendum maxime ad ſanitatem conducat. 5. quantæ varius ſitus corporis in variis morbis curandis ſit utilitatis. vide HIPPOCRAT. LOWER. &c. 6. cur motus cunarum & ſimiles motus Somnum producant.

*Cibus copioſior*, *ſolidior*, *tenacior*, copioſior α. ſi ſit, ventriculus diſtenditur partim propter copiam ciborum, partim propter aërem rarefactum [claudunt ſe enim hoc tempore arctiſſime ejus orificia] hinc ille, ita auctus capacitate, parte poſticâ premit aortam, profundâ, viſcera abdominis, quatenus cibos continet, illi vaſa ipſius ventriculi anguſtant, proportio hinc inter ſanguinem & vaſa intercedens tollitur, nempe ſanguinis copia reſpectu vaſorum ſit major; docent Hydraulici, quod velocitas liquidorum, motorum per canales quoſcunque, intra datum temporis ſpatium augeatur vel imminuatur, prout augetur vel imminuitur canalium capacitas, majori ergo velocitate fluit per reliqua vaſa, affirmat experiment. LOWERI, ligatâ namque arteriâ cervicali alterâ, pulſus ſtatim in alterâ cervicali, tum etiam in axillari utrâque valde augetur, majori ergo etiam celeritate per ea, quæ ad cerebrum, vaſa, majori ergo copia exprementur ſpiritus, plures ergo influent in partes, cujus effectus plurimi donec tandem auctâ plethorâ hic loci, fiat Somnus. β. *ſolidior &c.* haud ita redigitur in humorem facile circulantem, (Deſunt quippe maximi momenti inſtrumenta) & ex quo brevi poſſint exprimi ſpiritus in locum illorum, qui maximâ copiâ requirebantur tempore digeſtionis.

*Coroll.* Ex dictis patet 1. cur dyſpnœa poſt talem poſtum imprimis obtineat 2. cur omnes homines tum, niſi ſeſe exerceant, ſomnolenti fiant.

An

An autem hoc tempore, & quotidie conducat homini, poſt prandium cænamve ſtatim indulgere ſomno, propter temporis anguſtiam non determino.

*Potus copioſus* &c. quatenus *copiâ* patet ex dictis de cibis (ad lit. *α.*) *qualitate*, quatenus talis 1. conſtat particulis pluribus glabris, politis, lubricis, ad ſe invicem non attractis, quæ maxime cerebrum petunt, ex dictis & hiſce, quo liquidi partes minus ad ſe attrahuntur, eo ſunt magis mobiles, & quo corpus motum ſupra aliud minus aſperitatis in ſuperficie habet, eo aptius eſt continuare motum, unde hic plethora, vide ſuperius. 2. particulis acribus, quæ ſtimulant vaſa, unde contractio cordis, arteriarum, venarum augetur; effectus patent. 3. vi adſtringente, unde forte conſtringendo minimos canaliculos (nervulos) ſpirituum tranſitum impedit, vulneri namque ſi applicetur talis liquor, ſiſtit hæmorrhagiam. 4. vi coagulante ſuâ incraſſat ſanguinem. NB. Non omnes liquores fermentatos eodem gradu dictis qualitatibus eſſe præditos, unde & patet ratio, cur talis potus eo magis ſomniferi ſunt, quo magis abundant ſpiritibus &c.

*Opium & opiata*, quid ſit opium nemini non notum vide DIOSCORID. THEOPHRAST. CAJ. PLINIUM. alioſque, de modo autem quo vires ſuas exſerit, inter Eruditos non convenit, & ſi alibi, hic quot capita tot ſententiæ, hiſce non obſtantibus ſi conſideretur 1. eſſe odoris acris, tetri, penetrantis. 2. ſaporis eſſe adſtringentis & amari, omniaque amara calida ſint ſecundum GALEN. *libr.* 4. *de ſimpl. med. fac. cap.* 6. *de amaritie opii vide plura apud* ZACUT. LUSITAN. 3. bullulam excitare ſimilem ei, quæ fit ab Empl. veſicatorio. 4. ſudorem producere &c. operandi modus explicari poſſet taliter, quatenus ſtimulat, calefacit, inflammat, agit in moderatâ licet aſſumtum copiâ, eodem modo ac dictum eſt de potu (ad n 2.) quatenus adſtringit, effectus vide in explic. potus (ad n. 3.) *injecta*, quatenus jam minima ſolida, liquidum enematum conſtituentia, ingrediuntur minimos canaliculos venoſos inteſtinorum per quos tandem in maſſam ſanguineam veniunt, ibique ſuos effectus præſtant eod: modo ac mox dictum eſt de ingeſto *opio*, minime namque fert opinio (ſit venia dicenti) enemata tantum ſupplere vices balnei interni laxantis, contrarium quippe demonſtrant clyſ-

clysmata blandissima, antiphlogistica in morbis acutis febrilibus summo cum successu injecta, unde etiam non dubito, quin dentur enemata Nutrientia.

Attendenti ad minimos canaliculos venosos in superficie externâ corporis, patet cur *applicata* producant Somnum *opiata.*

Coroll. dicta de opio, & opiatis probabilia cum sint, convenienter concludi potest. $\alpha$. opium & opiata nihil vitii emendare nec in solidis nec in liquidis. $\beta$. in quibus morbis maxime prosint. $\gamma$. quamnam Medicus ille sibi exspectandam habeat frugem, qui in morbis inflammatoriis v. c. pleuritide, ubi dolor acutissimus, a causâ internâ distendente, opium, vel opiata præbet, tollit fateor quidem dolorem (dicitur ille molesta idea in mente nata, quod fibra nervosa a cerebro oriunda accipiat conditionem physicam, qua brevi instat ruptionis periculum, quod quo majus, eo dolor intensior.) interceptâ communicatione motus ad Sensorium commune, (medullam scilicet cerebri,) non causam, manet proin morbus, ruitque si validus subito in deterius, ita ut æger nescius doloris (sublatus quippe est fidissimus nuncius, quemlibet ægrum exagitans ut quærat curam, Medicum ut relevet laborantem) brevi vitam cum morte commutet, latere affecto, sphacelato, an autem id satisfacere sit *studio Hippocratico omnium verissimo*, non facile dixerim.

*Salvia* est amara, acris, cum leni quâdam adstrictione, affirmant hæc HIPPOCRAT. *Medicorum Romulus. libr.* 2. *de diæta.* GALEN. *libr.* 6. *simpl. AËT. tetr.* 1. *serm.* 1. unde quatenus his qualitatibus accedit ad opium producit somnum.

*Crocus.* ut observata docent, equos vehentes crocum torpore obrui, sacculos Croco repletos culcitræ suppositos, Somnum inducere, vinum, cui tantillum croco admixtum, citius inebriare, quam aliud vinum generosum: ratio ex superius dictis clarissima. Ex dictis de opio &c. evidens cur camphora &c. aromata penetrantia flagrantia, spirituosa producant somnum. 2. cur a spirituosis ebrietas, & postea somnus. 3. an in febribus ardentibus, & morbis acutis febrilibus jure merito, certâque ratione conferant ad restituendam sanitatem absentem, aromata penetrantia & similia hujus generis; putem quod minime.

*Refrigerantia &c.* quicquid vim cordis, arteriarum contractio-

 nem

nem auget, liquida condensat, auget motum, ergo & attritum, adeoque calorem, frigidissima namque solo attritu valido, calidissima evadere quis ignorat? refrigerantia vero &c. diluunt, invertunt, obvolvunt, liquida rarefaciunt, ad motum ineptiora reddunt, spiritus sic quasi ligant, omne quod contrarium prioribus. unde ex hisce rite animadversis facile quis videt, cur somnum inducant, & cur hæc adeo conveniant in morbis a nimio motu & morbis ab alcalino spontaneo.

*Lenis frictio &c. &c.* attentio consistere dicitur in continuatione illius status cerebri, qui requiritur ad præsentandam illam ideam, ad quam attentus homo; mens itaque in hæc intenta ab omnibus objectis avocatur, aliorumque sensuum oblivio obrepit; ut homo paulo post nescius labatur in somnum.

*Coroll.* hinc patet quanti momenti suo tempore hæc sint in diversis curandis morbis.

Reliqua ex dictis facile innotescunt, ut gnarus falso distinguere verum videre possit, quænam præter memoratas causas huc revocari, & verissimæ causæ somni naturalis dici possint, debeant.

Clarissimum etiam nunc est, quam inanis & penitus abjicienda sit sententia illorum, qui somnum fieri dixere, cum vapores ex nutrimento exhalant in cerebrum, ibi suaviter liquescunt, & defluentes in cerebro obstruunt nervos: dum canaliculi venosi hiantes in cavo ventriculi, æsophagi, oris, excipientes subtilissimum a cibo, potuve humorem deferunt in vasa Lymphatica venosa, unde in venas majores immissus defertur prius ad, in per, & ex corde, quam ope arteriæ cum sanguine circulante deferatur ad omnia corporis puncta, suosque ibi præstet effectus. Explicitis sic crassâ minervâ causis, agam paucis de phænomenis.

*Plenitudo capitis*, fit ab impeditâ æquali pressione sanguinis per corticem cerebri, unde compressione nervorum in fieri, mens idem judicat ac de pondere superincumbente.

*Gravatio corporis*, non quoad stateram, sed ad vires, cessante causâ cessat effectus, a præsenti sufficiente quantitate spirituum bonorum, & sanguinis arteriosi fluere aptorum per vasa huic continendo destinata (sunt arteriæ, venæ, excipula, receptacula,)

la,) pendet agilitas; ſpiritus autem incipiunt deficere influendo, hinc ſenſus ponderis.

*Senſuum vis labaſcit &c.&c.* expedita & facilis ſenſuum exercitio unde dependeat (vide §. 2. Cap. 2.) fit hic dictum (§. 12. Cap. 2.) nervi hinc antea tenſi fiunt flaccidi, hinc motus impreſſi debito modo non deferuntur ad Senſorium commune, (quod ex obſervationibus pluribus minime puto glandulam pinealem) hinc confuſæ perceptiones, unde homo talia proferens, quæ præſentibus rebus omni parte haud ita congruant &c. deſipiens vocatur; ſi autem in Senſorio communi hominis alicujus mox dormituri, (§. 5. Cap. 2.) aut poſt unam alteramve horam evigilantis a ſomno, eodem modo, ac fit, ſi perfecte ſit vigilans, (§. 1. Cap. 2.) afficiatur quoddam punctum, unde fibrilla nervea pertingens ad organum ſenſus cujuſdam externi oritur, fit inſomnium, ſtatus certe intermedius inter ſomnum & vigiliam: ratio eſt data ſuperius; ſenſus & inſomnia, ſpirituum motu fere nullo plane ceſſant. Attendenti autem 1. id, per quod cogitamus, jam deſtitui ſummo inſtrumento, quo vigent effectus ex conjunctione mentis cum corpore oriundi, adeoque mentis præſentia indicatur, 2. ſanguinem ſubtiliſſimum poſt cerebroſum (lemm. 2.) juxta regulas hydraulicas ferri per partes ſuperiores. 3. ea, quæ de expedito motu muſculorum dicta ſunt. (lemm. 2.) patet ratio 1. cur motus voluntarii non fiant. 2. cur primo palpebræ cadant, & ſenſim deſcendendo reliquorum fiat Muſculorum voluntariorum quaſi paralyſis.

*Cordis motus manet*, cor eſt muſculus, dixit HIPPOCRATES, enuclearunt penitus *ſapientiſſimi* LOWERUS & VIEUSSENSIUS; movebitur ergo ut muſculus alius, id eſt per ſpirituum, & ſanguinis arterioſi influxum contrahetur, quibus hic ſpecialiter accedit ſanguinis venoſi in cava cordis protruſio; ab his tribus dependet ſyſtole ſeu contractio cordis, neque unum horum ſufficit; ligatis namque ac penitus abſciſſis nervis octavi paris in cervice, cor ſtatim palpitare & contremiſcere incipit, atque corde tremulo, & pectore admodum ſuſpirioſo brevi tandem exſpirat animal, non autem ſtatim, ſpiritus enim per alios adhuc influunt, ut hinc nervi defectus ſuppleatur, quod hic imprimis fit; nullus enim muſculus in toto corpore

tot accipit nervos, (unde merito dicitur universi motor) idem de reliquis docuere vulnera, ligaturæ, (*vide* J. BOHNII *lib. de renunciatione vulnerum*;) tempore somni tantum afficitur cerebrum, non cerebellum; si enim hoc impeditur fungi officio, est mors (§. 7. n. 3, 4. Cap. 2.) at a cerebello oriuntur cordis nervi, (dari etiam a cerebro docent animi pathemata) *vide* R. LOWER. *Tractat. de Corde.* T. WILLIS. *anatom. cerebri.* R. VIEUSSENS. *lib. de Neurograph. universal.* manebit ergo ejus motus: *fit validior*, robur musculi majus dependet a majori influxu spirituum, & sanguinis arteriosi; sanguis autem tempore somni majori cum velocitate, ad, in, per, & ex corde movetur (ex dictis superius de cibis) majori ergo velocitate ad cerebellum pervenit, plures ergo exprimuntur spiritus, majori ergo quantitate influunt in cordis fibras, sicque simplicissime patet ratio, cur cordis motus maneat & validior fiat, 1. nempe ob majorem sanguinis venosi influxum in cava cordis. 2. propter auctum cruoris motum arteriosi in arterias Coronarias, 3. majorem influxum spirituum vitalium a cerebello per nervos in villos cordis: cur autem cerebellum non afficiatur *vide* H. L. *institut. Medicas Clariss.* H. BOERHAAVE, *cujus nomen sine honorificâ præfatione memorare erubescerem*; quicunque autem cum BELLINO advertit, quod homo vigilans modo loquatur, modo currat, levet pondera, meditetur in foro, in venatione sit, &c. hæc que omnia non obtineant tempore somni, facile rationem videt, cur dictus motus sit æquabilior &c.

Pulmones, cætera organa respirationi vitali inservientia, arteriæ, venæ, viscera, quoniam accipiunt nervos a cerebello, ut cor, patet cur & eorum motus perennet hoc tempore; reliqua, ut absit verborum ambages, videantur ex jam explicitis.

# Caput Quartum.

Expositis plurimis, quæ de Somno possunt dici, restat hic ultimo, ut paucis videantur effectus ejus. In somno augetur, vix mutatur, nec destruitur motus Cordis, Arteriarum,

Ve-

Venarum, &c. (vide *dicta de Cordis motu cap.* 3.) hinc sanguis venosus propter plurimas secretiones, & excretiones cuilibet *Oeconomiæ Animalis* gnaro satis cognitas, parte liquidiore orbatus, crassus, ratione structuræ venarum minime compressus, rarefactus, actione valvularum validiore, & sanguinis a tergo continuo prementis motu, jam minus lente movetur per Venas, quasi totidem plana inclinata, ex his in Venam Cavam, per quam jam celerius itinere peracto infunditur in sinum Venosum dextrum, e cujus cavo & celerius pellitur in Auriculam dextram jam flaccidam, ex quâ maxime conquassatus, fibris ejus triplicis ordinis validius sese constringentibus, pellitur in cor dextrum laxum, quod repletum mox urget sanguinem, qui quaquaversum pressus, nec potens redire, propter occlusas valvulas tricuspidales, omnis agitur in arteriam Pulmonalem, (apprimendo ejus lateribus valvulas semilunares) quæ oriunda ex Cordis dextri tendineo circulo, dein incurvata, statim dividitur per totam Pulmonum substantiam in infinitas, minimas totius corporis arteriolas, quam plurimis anastomosibus inter se communicantes, quæ minimæ arteriolæ reticulari opere (quod dicitur *Rete* ab inventore *Malpighianum*) vesiculas pulmonum coronant, spatiaque cellulosa intermedia occupant, ex quibus tandem (arteriolis) oriuntur minimæ venæ cylindricæ eodem modo, ac arteriæ excurrentes &c. quæ tandem majores & majores factæ 4. truncis (dicuntur Venæ Pulmonales) hiant in sinum Venosum sinistrum: 2. Chylus in ore morsu, masticatione, aëre, atque humoribus in os stillantibus plurimis præparatus, in ventriculo, actione structuræ musculosæ, ingentium vasorum ictu, motu diaphragmatis, viscerum abdominalium, liquore gastrico, (qui in statu naturali nec acidus, nec alcalinus, sed insipidus, aut leviter salsus deprehenditur semper, uti id non unâ vice in privatis exercitiis Theoreticis severe affirmavit *Eximius Vir* B. ALBINUS) reliquiis ciborum inter rugas ventriculi hærentibus, aëris admistione &c. subactus, delatus in contigua intestina, (non enim ventriculum & intestina esse unum continuum ductum sæpius tam publice, quam private primus demonstravit *omnium Anatomicorum hoc tempore facile Princeps* J. J. RAU *Professor Anatomes & Chirurgiæ dexterrimus*,

*mus, Lithotomus feliciſſimus, peritiſſimus, hacque ratione, totum fere genus humanum ſibi devinctum habens, Præceptor noſter plurimum venerandus)* in his, actione inteſtinorum, admiſtione bilis duplicis, liquoris Wirſungiani, Peyeriani &c. elaboratus, in lacteis motu periſtaltico &c ſecretus (relictis craſſioribus pro conſtituendis fæcibus inteſtinal.) in meſenterio, ductu thoracis chylifero, plurimæ affluxu Lymphæ (an hic ſpiritus, ſubtiliſſimus tum liquor omnium venoſorum dicendus per nervos merito ergo venoſos chylo admiſceantur, ſevere affirmari nequit, probabile interim eſt) dilutus & permiſtus, ſanguini tandem venoſo in Venâ ſiniſtrâ ſubclaviâ parcâ ſimul copiâ miſtus, cum eo fluit ad cor dextrum, unde parum mutati mox in arteriam Pulmonalem: hic jam ſi conſiderentur vis Cordis proximi valida, ſanguinem continuo a tergo premens, conoidea arteriæ Pulmonalis ſtructura, infinitæ ejus ramificationes anguloſæ, angulorum variæ inflexiones, anaſtomoſes, millies milliesque repetita aëris gravis, elaſtici actio in vaſa Pulmonibus appenſa, effectus certiſſime dicendi ſunt denegata quies duobus momentis in eodem ſitu, reciproca preſſio, propulſio, diviſio, attenuatio, aëris huc cum chylo delati, minime per Pulmonum vaſa aërea humoribus admiſcibilis permiſtio, mutatio aceſcentis in naturam alcaleſcentem, partium ramoſarum politio, compactio tandem &c. (plura ſuper his vide apud A. PITCAIRNE *diſſertat. de motu ſanguinis per Pulm. alioſque.*) ſanguis venoſus, & chylus ſic ſubacti, in Venis Pulmonicis ulterius exactiſſime mixti, tandem per 4. Venas Pulmonales infunduntur ſinui venoſo ſiniſtri lateris, hinc in auriculam ſiniſtram, ex quâ in ventriculum ſiniſtrum, unde in omnium arteriarum principem feruntur, ubi eadem fere, (abeſt namque aëris actio) 1. ſubit ſanguis, atque ita ulterius evadit aptus fluere per vaſa &c; 2. chylus etiam ulterius ſubactus, pluribus circulationibus (vide R. LOWER. *Tract. de corde Cap. 5.)* tandem redigitur in ſerum, hoc in ſanguinem, compactis nempe pluribus, utplurimum 6. globulis pellucidis, ſeroſis in unum globulum rubicundum jam tum dictum ſanguinem (planiorem hujus mirandæ, attamen veriſſimæ rei hiſtoriam vide apud A. LEEUWENHOEKIUM:) dum itaque validiore cordis, pulmonum, arteriarum, venarum

&c.

&c. motu fiat validior humorum circulus, humores omni ſecretioni atque cunctis actionibus, quæ humorum efficaciâ abſolvi poſſunt in vitâ, aptiſſimi reddantur, cauſæ impedientes, turbantes, deſtruentes abſint, vaſa varietate Muſculorum non impedita, recipiendo aptiſſima, veriſſimum eſt, ſomnum (naturalem) præter dicta 1. efficere, ut corpori animali (lemm. 1. & 2.) optime tantum & tale reſtituatur tam in ſolidis, quam fluidis, quantum & quale per varios corporis motus &c. in vigiliâ (Cap. 2. §. 3.) maximâ cauſâ deſtructionis, minimæ nutritionis, fuit deperditum, & evaporavit inſenſibiliter, (quod evaporare revera fieri primus atque unicus invenit SANCTORIUS, videatur *ejus liber aureus de Medicinâ ſtaticâ*, tibique affirmabitur (aph. 6. Sect. 1.) ſi cibus & potus unius diei ſit ponderis 8. librarum transſpirationem inſenſibilem aſcendere ſolere ad 5. libras circiter in aëre Italo &c.) id eſt reparetur animal, redacto chylo per gradus in ſerum, hoc gradatim tandem in tenuiſſimum (jure merito a Veteribus ſpiritus naturalis nomine ditatum) humorem, veriſſimum corporis nutrimentum, quod evicere M. MALPIGHIUS *in ovis*, F. RUYSCH *in embryonibus & fœtibus*. &c. 2. ut plus apponatur partibus, quam detritum eſt, id eſt, ut fiat incrementum; (quod non fieri quis negabit?) item ut & accumulatio fiat illius materiei, (ſpirituum nempe animalium) quæ derivanda eſt per vigiliam intra muſculos ad inducendam ſuperadditam contractionem &c. &c. quæ videas H. L. *ex Inſt. Medic. viri jam ſæpius laudati* H. BOERHAAVE: cum vero temporis anguſtia neget, plura dici, coactus concludo ex ore *Excellentiſſimi* BELLINI rem paucis complectentis, *Somni tempus eſſe illud tempus, quo maxime alitur animal minime deſtruitur; quum autem ali ſit refici, hoc eſt rurſus quaſi in generationem venire, & ad ſuum eſſe revocari; & nihil magis naturale unicuique rei excogitari poſſit, quam ipſum eſſe illius: manifeſtum eſt, tempus maxime naturale rebus omnibus animatis eſſe tempus ſomni, per quem illæ ad ſuum eſſe ſemper rediguntur, hoc eſt conſervantur in eodem.* &c. &c.

# TANTUM.

AD

AD

## *ORNATISSIMUM JUVENEM*

# JACOBUM VAN VISVLIET,

De Somno egregiè disputantem, &
Laureâ donandum Apollinari.

*Plurima de Somno Veteres insomnia tradunt.*
*Namque Erebum voluêre parentem*
*Illius, & Mortem simul affinxêre sororem,*
*Obscura de Nocte creatam:*
*Huic urbem, portas urbisque dedêre gemellas:*
*Huic famulum quoque Morphea jungunt.*
*Deinde ferunt, celeri volitare per aëra pennâ;*
*Dant placidæ sua membra quieti,*
*Tempora sed quorum Lethes madefecerat unda.*
*Amoto tu seria ludo,*
*Veraque de Somno, quid habent si somnia veri,*
*Et vigilanti lumine quæris,*
VISVLIETI, *Valacrum decus & tutela tuorum!*
*Nascenti puero tibi risit*
*Phœbus & insignem variâ te Pallas ab arte*
*Reddidit. Hinc Te Somnia tardant*
*Nulla, per Hippocratis noctesque diesque papyros*
*Lauros promeruisse recentes*
*Niteris; & tandem Tibi præmia dividit æquo*
*Leida viris animosa peritis.*
*Somnia ceu vates aperis, viresque modumque*
*Fictâ tradis imagine monstri.*
*Excitat è Somno plures tua fama, vel ipsos,*
*Qui docto celebrantur in Orbe.*

F. G. WESTHOVIUS.

TER

# TER BEVORDERINGE

## VAN DEN HEERE

# JAKOB VAN VISVLIET,

*Tót het Geneesheerſchap.*

GY wordt genoodigd, Léttergaſten,
  Op een voortréffelyk Bankét,
  U van Heer JAKOB voorgezét,
Waar aan Gy u niet zult vertaſten.
  De Wysheyd heeft het opgediſt:
  't Is Kóſt, uyt Waarheyds Stroom geviſcht.

Dóch 't is een Maaltyd voor de Braaven,
  Van viesheyd en vooroordeel vry,
  Verliefd op Zielelékkerny,
Beſchonken met Apollôs gaaven,
  Om bet te weeten, bet te doen,
  En enkel hunne Ziel te voên.

Zit aan, Gy zult hier mooglyk vinden,
  Daar Uw Leergraage Geeſt na haakt,
  't Geen nimmer heeft Uw' Tong geſmaakt,
Op kunſt genood by vroede Vrinden.
  De Tafel wacht U, wel bereyd.
  Taſt toe, naar Uwe zinlykheyd.

D                                        De

De Hoofdſpys is de *Slaap*, van allen
Bemind, van weynigen gekénd.
Geréchten vullen Hoofd, en End.
't Zal, wat 'er is, U welgevallen.
Gy zeggen, oude Slaapkóſt, weg:
Deez wint het buyten wederleg.

Gy zult gewis Uw zegel hangen,
Wanneer Gy luſtig hebt geſmuld,
En tót verzaading zyt gevuld,
Aan myne woorden; met verlangen,
Om weêr op zulkeen Feeſt te zyn,
Schoon zonder Brood en zonder Wyn.

't Is Slaap, die Slaapluſt kan verjaagen;
Schoon meeſt in Slaapenstyd gemaakt;
Van ſuffe ſlaapers ſlechts gelaakt.
Gy zult van deezen Slaap gewaagen:
't Is Slaap, die zonder droomen is:
Dus VISVLIET looven, naar ik gis.

Al ſluyt eens de yz're Slaap zyne oogen,
Waar tegen geen gewéld vermag;
Nóg blyft zyn Slaap in held'ren dag,
En houdt, die waaken, opgetoogen.
Voor braave Weetenſchappen zwicht
De Dood, de ſchaduw voor het licht.

Wy durven ons van hem belooven,
Gelooven 't ook op vaſten voet,
Dat hy, voor anderen, met ſpoed
(Zyn luſt draaft veeler luſt te boven,)
Verlegenen zal gade ſlaan,
Men hart en mond ten dienſte ſtaan.

Wy

Wy wachten, wegens hem, te hooren,
In *Zeelands* Hoofd- en Hóf-ſtad woont
Die wonderen aan kwaalen toont.
Een andre BAGGAART is gebooren:
Een tweede VISVLIET trekt door kunſt,
Gelyk zyn Neef, der Kranken gunſt.

De Slaap, de vrucht van zyne Lente,
Voorſchaduwt eenen *Zomertyd*,
Die zyne Maagen, ons verblydt,
En hem betaalt, met dubb'le Rente,
Voor 't werk van zyn geſchaard verſtand,
Beſteed ten nutte van het Land.

Lang bloei het Hooge School te Leyde,
Lang hebb' het Mannen, als het heeft;
Lang geev' het Mannen, als het geeft:
Lang graaz' de Jeugd zich, in haar Weyde,
Gedrénkt van Kunſtekweekend nat,
Aan Klaver van Geleerdheyd zat.

Wien luſt lókt, om mede Eer te haalen,
Slaa 't Voedſpoor van Heer JAKOB in,
Met wiſſen tred, met vaſten zin,
Hy zal op zyne beurt ook praalen.
De Gódheyd heeft hier alles veyl;
De Wysheyd kent hier naauwlyk peyl.

N. V. POELGEEST.